



Universitätsbibliothek Paderborn

**Initium Sapientiæ & Finis: Timor Domini, & Amor Dei: Seu
de fuga peccati, deque dilectione summi boni**

Comitin, César Jean-Baptiste

Coloniæ, 1709

§.7. Prædestinatio ad gloriam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50773](#)

sanguine anguis amantem inanissimâ vanitate deludo. Adhuc in ore resonat antiquum illud ac nimis odiosum acroama : *Anima nostra naufragat super cibo isto levissimo. (Numer. 21.)* Et sapis, anime, cui non sapit Deus? crudelis! alliâne præfereis, porros, & cæpe? arbori vitæ pomumne mortis? ô serpentem! ô voluntatem sibi semper, etiam cùm amica est, inimicam! Placet vita. Mors eligitur. Et cùm dictum sit : *Qui manducat me, non morietur in æternum*; nos ab hac abstinemus mensâ, ne non moriamur in æternum.

§. 7. Prædestinatio ad gloriam.

Supremam his omnibus coronidem imponit PRÆDESTINATIO ad gloriam, & quæ ex illâ sequitur, ad gratiam. De primâ primâ, tum de secundâ.

Ac illam quidem sic animo completere: benevolentiam erga te Dei infinitam, quâ tibi secundum propositum voluntatis suæ gloriam ante sacula decrevit ab æterno, inque æternum, amore summo, perpetuo, singulari, gratuito, incommutabili: antequam boni quicquam egisses; inò cùm jam ingratissimus apparerés. Quid hîc dices? cur te? cur tibi? cur tanta? quid enim fuit causæ? meritâne tua, quæ nulla erant? quæ mala e-

rant? an parentum ? qui & ipsi infideles ele^{cti}
 sunt? spes fortè futuri ? atqui Tyrus &
 Sidon, ut est in Evangelio , melior & promi-
 ptior relicta est. Vis audire quid? Parasti ci-
 bum illorum ; quoniam ita est preparatio tua.
Parasti: non quia se paraverunt ; sed quoniam
ita est preparatio tua. (Augustin.) Enim meri-
 tum electi , voluntas eligentis. Nam, ut ait
 egregiè Hieronymus, *ipsum quod nostrum est,*
sine misericordia Dei nostrum non est.

Ergo singula perpende , comprehendendu-
 niversa. De summâ rei agitur , de pondere
 gloriæ immenso atque æterno , de felicitate
 Dei & tuâ. Beneficium est re sumnum, ori-
 gine primum, antiquitate æternum, magni-
 tudine infinitum, delectu singulare , gratiâ
 & gratiæ totum. Dedit immerenti , dedit
 inimico, dedit prior, cùm odiſſes , cùm per-
 secutor esſes Ecclesiæ & Christi , cùm deni-
 que peccatorum aut jam primus , aut mox
 futurus ; tum inquam, tum scripsit in libro
 vitæ digito suo ; itaque scripsit, ut nemo de-
 leat , nemo expungat. *Horum enim si quis-*
quam perit, fallitur Deus : sed nemo eorum
perit; quia non fallitur Deus. (Augustin.)

En te igitur in cælo jam beatum, tot pere-
 untibus, tot jam perditis de natione , de ge-
 nere

nere, de familiâ, de sanguine tuo ; tu forte perditissimus omnium, perditionis à massâ segregatus unus. O donum super omne donum! Egône? tot inter ignominiae vasa vas in honorem? quo merito? nullo. Cujus beneficio? Dei. Amor inchoavit, amor perfecit, amor ubique & amor ubique & amor semper ; & nunquam amo, & nusquam amo: cùmque in physicis invicem respondeant ista duo sibi, *actio* & *passio* ; hîc pro novo monstro passivum est æternum, activum non momentaneum quidem. Et unde hæc tibi sterilitas tanta, cor infelix? proverbium est, si vis amari, ama. Ecce amor in te Dei antiquus dierum jam est in canis, & tuus nondum in cunis. unde hoc?

§. 8. *Prædestinatio ad gratiam.*

Scopum attigisti : nunc ad eum consequendum tela, nunc telam ordire PRÆDESTINATIONIS, funiculum hereditatis tuae, de gratiâ gratiam, & quantam, ô Superi, quâmque multiplicem! hîc prima fides, primumque Dei donum: datur enim sine merito unicuique, unde tendat ad meritum. (Ambros.) Hîc indoles, educatio, anima bona, & ipsa sorte, hoc est, voluntate Dei doneque accepta. *Quia voluit, non quia dignè*

D 5

su-